



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 92. Primum Consistorium Martini V. Pontificis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV.  
A.C. 1417.

§. XC I.

*Gregorii XII. obitus.*

Tandem Angelus Corarius, antea Gregorius XII, Recineti in Marchia Anconitana die decima octava Octobris hujus anni vita functus est, annos natus nonaginta duos. Mortis suæ fama non nisi Mense Novembri ad finem vergente Constantiam pervenit. Martinus V. quod Papatum sponte abdicasset, die vigesima sexta Novembris cum ingenti pompa exequias celebrari jussit, ac tertia abhinc die in palatio Episcopali primum tenuit Consistorium.

§. XCII.

*Primum Consistorium Martini V. Pontificis.*

Vander  
Hardt to. 4.  
pag. 1497.

In hoc sacro Patrum senatu ante omnia agitabatur Ducum Bavariae caufsa. Pontifex enim comperto Henrici in Ludovicum Bavarum insultu, hujus Advo- catum audivit, ac præmissa totius negotii deliberatione, secundum justitiæ leges procedendum pollicitus est. Dein solidas duas horas tenuit Argentinensis E- piscopi controversia adversus suum capitulo, quæ ultro citroque agitabatur, nihil tamen decisum fuit, sed Papa Placentinum & S. Marci Cardinales nomina- vit,

vit, qui rem penitus examinarent, ac de- Sæcul. XV.  
mum cognita caussa, totam negotii sum- A.C. 1417.  
mam eidem exponerent.

### §. XCIII.

*Sicaria cædes Constantiæ perpetrata.*

Die septima Decembris hora septima matutina Sicarius quidam a Lucernensibus civibus, eoquod in quadam lite contra Benedictinos caussa cecidissent, ex condicto emissus, ejusdem Ordinis, ac urbis Priorem supra pontem Constantiensem trucidavit. Ille autem mox comprehensus, scelus suum confessus est, quo circa per plateam, ubi cædem perpetrabat, equi caudæ alligatus ad supplicii locum raptatus, crurifragio multatus est.

### §. XCIV.

*Fidei professio Bonifacii VIII. a Pon-*  
*tifice jurata.*

Die decima septima ejusdem Mensis *Vander*  
*Pontifex sonantibus tubis promulga-* Hardt tom.  
ri jussit, omnes ab eo gratiam petituri 4. p. 1497.  
præfata die ad ejus palatum convenirent. *Idem t. 3.*  
Ingens erat confluentium numerus, & p. 779.  
Martinus Cardinalibus, Imperatore, Prin-  
cipibus, atque Electoribus stipatus priva-  
torum preces excipiebat, pluresque desu-  
per Bullas expediri curabat. Postera die  
sacrum Purpuraterum Senatum coegit,  
in